



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 127. Legatio Borgiæ Cardinalis in Hispaniam

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Turcicum, præter quasdam Epistolas par- Sæcul. XV.
 tim typis excusas, partim nondum in lu- A.C. 1472.
 cem editas. Optabilis sane esset labor,
 si omnia hujus Cardinalis opera in unum
 volumen collecta publici juris fierent.

§. CXXVII.

*Legatio Borgiæ Cardinalis in
Hispaniam.*

Interea Borgias Cardinalis S. R. E. Can-
 cellarius patria Valentinus ejusdem Mariana
 que civitatis Episcopus, in Hispaniam hist. Hisp.
 destinatus est Legatus, iisdem instructus l. 23. c. 18.
 mandatis, quæ Aquilejensi pro Germa- Papiens.
 nia, & Bessarioni pro Galliis nuper da- epist. 44r.
 bantur. Die vigesima Junii Valentiam Surrita an-
 appulsus, omni officiorum genere, atque nal lib 18.
 ingenti lætitiæ significatione excipieba- c. 40. & seq.
 tur; paucos vero dies ibidem diversatus,
 Tarraconam contendit, ut cum Ferdi-
 nando Siciliæ Rege consilia conferret.
 Ea occasione diploma dispensationis Apo-
 stolicæ in connubio Regis cum Isabella
 Infante Regi porrexit, illudque Archie-
 piscopo Toletano summi Pontificis jussu
 promulgandum tradidit. Inde Barcino-
 nem delatus, Arragoniæ Regem, qui hu-
 jus urbis obsidioni intentus erat, adiit;
 dedita autem Barcinonensi civitate Bor-
 gias in Castellæ Regnum concessit, ubi
Hist. Eccles. Tom. XXIX. D d Ma-

Sæcul. XV. A C. 1472. Madriti ingenti pompa receptus est, orationemque ad Clerum Ecclesiæ suæ habuit a Cardinale Papiensi elucubratam, cum forte Borgias minus ad id aptus esset. Ast ægre admodum obtinuit subsidium pro bello Turcico: in componendis quoque Castellæ diffidiis, licet omne studium adhibuisset, nihilominus parum profecit, eoquod Prælati Ferdinandum Arragoniæ Regem, quem Henricus Rex ob nuptias Isabellæ sororis suæ se invito contractas persequebatur, summa animi propensione foverent. Testantur quoque Auctores, eundem Legatum cum Rege Arragoniæ, necnon cum Eduardi Angliæ Regis, & Caroli Burgundiæ Ducis Oratoribus, qui opportune Castellæ aderant, non solum de rationibus belli facri tractasse, sed etiam de scødere contra Ludovicum XI. Galliarum Regem egisse: id tamen in mandatis habuisse haud constat: hinc conjicimus, Borgiam jam tunc in animo suo fovisse, quæ postea factus Papa sub nomine Alexandri VI. apertius contra Gallos moliebatur. Denique his ita præclare gestis, Romam reversus est. Rex vero Castellæ adeo in eum ira commotus permansit, ut paulo post ad Sedem Apostolicam Oratorem destinaret, quide injuriis sibi a Legato illatis expostularet, ac quereretur.